

IOANNES NAVCLERVS HISTORICVS.



Ioannes Nauclerus filius fuit Ioannis Naucleri clarissimi viri, qui equestri dignitate ornatus apud Ludouicum comitem Vuirtenbergensem in Aurach magna laude uixit. Is filium suum Ioannem eruditis preceptoribus erudiendum tradidit. Erat autem is optima indole & felici ingenio praeditus. Itaque breui literarum rudimenta percepit, atque altioribus studijs in primis Iurisprudetiae operam nauare coepit. In ijs adeo profecit, ut utriuscque Iuris Doctor crearetur. Cum autem multis uirtutibus esset insignis, atque iuris studio etiam sacrarum literarum & historiarum cognitionem adieciisset, gymnasij Tubingensis cancellarius, deinde etiam eius

Ecclesiæ praepositus constitutus fuit. Eas functiones magna gloria administravit, atque apud omnes egregiam existimationem nactus fuit, anno 1480. Habet etiam Ludouicum fratrem: hunc in disciplinis adeo instituit, ut is praepositus Studgadianus & Cancellarius principis factus fuerit.